

sed permittit. Et inde colligitur malum fuisse repudium, quia mala sunt quæ fieri permittuntur: bona vero aut præcipiuntur, aut de illis consilia dantur. Et hoc annotavit Chrysoſtomus in opere imperfecto super Matthæum, vel quisquis est illius operis auctor, homilia. 33. hæc dicens, Bene dixit, quia Moyses hoc permittit, non præcepit. Aliud est præcipere, aliud est permittere. Quod enim præcipimus semper placet: quod autem permittimus, nollentes præcipimus: quia malam voluntatem ad plerumque prohibere non possumus. Hæc ille. Sic autem permittens Moyses non male fecit, sed bene: quia ut majus malum, puta homicidium vitaret, permittit minus. Oportet tamen, ut omnia recte intelligantur, tria in hoc negotio considerate, quorum primum Moyses prohibuit: Alterum permittit: Tertium præcepit. Prohibuit quidem dimittere uxorem sine causa. Permittit dimittere uxorem ex causa turpiudinis, si illa turpis fuisset. Præcepit dare libellum repudii, si illam dimitteret, ut per hujus libelli donationem averteret illos ab hujusmodi uxorum dimissione. Nam dato libello repudii non poterat amplius ad illam uxorem redire, ut habetur in Deuteronomio cap. 24. nec poterat uxori postea reconciliari. Et in hoc sicut in quibusdam aliis, illud repudium veteris legis differt à divortio legis Evangelicæ, quia in lege Evangelica post sunt conjuges post divortium factum sibi invicem reconciliari. In donatione libelli, quæ erat præcepta, non erat peccatum. In dimissione autem uxoris, quæ erat permittita committebatur peccatum, quia solvebatur vinculum matrimonii, quod ex lege naturæ erat indissolubile. Judæi ergo Christus loquens, quum abicere vellet libellum repudii, qui in veteri lege erat præceptus, usus est verbo dimissionis, juxta sensum in quo Judæi capere solebant. Quum autem post abrogatum repudium veteris legis, statuit divortium, juxta legem Evangelicam, non utitur illo verbo ut significat dimissionem quoad vinculum, sed solum quoad thorum. Quia sicut legem strictiorem quam erat vetus, statuebat, vel ut rectius loquar, restituebat, ita etiam strictiori tunc verbi significatione est usus, volens ut justitia nostra abundaret plusquam Phariseorum & Seribarum. Et hæc fe ut significatione, Christus ipse aperissime ostendit, per verba quæ statim subjungit, dicens: *Et qui dimissam duxerit, adulterat.* Nam per illa verba aperte indicavit eam, quæ à viro dimissa est, uxorem esse illius à quo dimissa est: quoniam ut jam supra diximus, non adulteraret qui illam duceret, nisi illa esset uxor illius à quo dimissa est. Christus ergo illam dicit esse à viro dimissam quæ solum dimissa est quoad thorum. Sed Erasmus irridet hujus verbi usum ad tam strictam significationem, dicens nunquam inveniri apud probatos auctores hoc verbum dimittere, capi ad significandum solum dimissionem quoad thorum. Numquid Christum vult Erasmus grammaticorum regulis alligare? Aut Christum ipsum vult accusare, quod male illius verbi significatione sit usus? Nonne ipse Erasmus sæpe alias fatetur, multa esse in sacris litteris, quæ juxta exactam grammaticam aliter essent scribenda? Sed his omnis volo Erasmus ostendere probatum auctorem qui verbo isto usus est, ut significet solum thori separationem. Nam Chrysoſt. in illa præfata hom. 33. operis imperfecti super Matthæum, juxta illam significationem usus est illo verbo, sic dicens, Qui dimittit conjugem suam, & aliam non accipit, adhuc maritus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc plene dimittit. Hæc ille. In quibus verbis constat illum duos dimissionis modos statuere, unum quo quis sic dimittit

uxorem, ut aliam ducat, & hæc dicit esse plenam dimissionem. Alterum quo sic dimittit uxorem, ut tamen aliam non ducat: & illum qui sic dimittit, dicit adhuc esse maritum illius quam dimittit. Postquam jam adeo sufficienter respondi ad argumentum adversariorum, ut cuilibet viro sapienti satisfacere possim, possum facile ipsum eorum argumentum in illos retorquere, prout superius obiter insinuaui. Si Christus de dimissione quoad vinculum est locutus: ergo superflue addidit illa verba: *Et aliam duxerit*, quia tunc solum viro dimittit uxorem quoad vinculum, quando aliam ducat: quia antequam aliam ducat, adhuc potest dimissam reconciliare sibi. At Christus nullum verbum superfluum dixit: quia ut Propheta Regius de illo dicit, *(Psal. 1.) solum dicit non defluet.* Ergo Christus non est locutus de dimissione quoad vinculum, sed solum quoad thorum. Quarto sic argumentantur adversarii. Si de sola dimissione quoad thorum Christus fuisset locutus, non sola causa fornicationis fuisset excepta: quia etiam propter alias causas potest esse licita separatio thori, ut puta si ex amborum consensu ingrediatur religio, aut propter periculum uxoricidii. Fateor quidem alias esse causas propter quas licita potest esse separatio conjugum quoad thorum, dimissionem tamen illam majorem habent causam quam sit fornicatio, propter quam Deus concessit posse fieri separationem. Causa autem fornicationis ideo est justa ad separationem thori, quia ipsa fornicatio conjugis est contra fidem matrimonii: & ideo justum est ut deinceps alter non teneatur illi, qui fidem non servavit. At magis est contra matrimonium uxoricidium, per quod tollitur vita & propria uxoris existentia, quam adulterium per quod solum violatur fides sine ablatione vitæ. Uxoridium est contra conjunctionem animorum, adulterium contra conjunctionem corporum. Matrimonium autem, ut Chrysoſtomus ait in illa præfata homilia. 33. operis imperfecti, non facit coitus, sed voluntas. Deinde, major est obligatio uxoris ad conservationem propriæ vitæ quam ad reddendum debitum viro. Et ideo omnes Theologi censent nullum conjugem teneri ad reddendum alteri conjugale debitum, quando talis redditio debiti vergit in apertum damnum incolumitatis propriæ: quia magis tenetur ad conservationem proprii individui, quam ad conservationem speciei, ad quam tendit talis redditio debiti conjugalis. De aliis autem molestiis quas viri solent inferre uxoris, censeo nullam earum esse satis ad faciendam vel thori separationem. Illi vero qui ex mutuo consensu ingrediuntur religionem, non sunt censendi quod se invicem dimittant, sed quod quilibet renuntiat juri suo quod habet supra alium. Nam dimissio non dicit solum separationem conjugum, sed denotat ultra hoc aliquod crimen in illo qui dimissus est. Propter hoc enim solus innocens dicitur dimittere alterum qui adulteravit, & e contrario non dicitur adulterum dimittere innocentem. Quinto sic arguuntur Cajetanus. Si alter conjugum infidelium convertatur ad fidem, potest dissolvi matrimonium inter illos contractum, propter alterius fornicationem spirituales, ergo etiam poterit dissolvi propter alterius conjugis fornicationem carnalem. Ad hoc argumentum respondet Catharinus in illis suis annotationibus contra Cajetanum, & dicit magnum esse inter illa duo matrimonia discrimen. Quia matrimonium infidelium non est ratum, & ideo potest dissolvi: matrimonium autem fidelium est ratum, & ideo dissolvi non potest. Hoc discrimen reddit Innocentius tertius in cap. Quanto, de divortiiis. Potest adhuc aliter responderi ad

at-

argumentum, & dico fornicationem spirituales, quæ est per infidelitatem, esse multo majorem, quam fornicatio carnalis: & ideo ex ista potest colligi optime illa, ita ut si ista dissolvit, & illa: arguendo à minori ad majus affirmativè. Non licet autem ex illa colligere istam, ita arguendo: si illa dissolvit: ergo ista. Quia sic arguendo arguitur à majori ad minus affirmativè, quod est ineptissimum argumentum. Non enim oportet, ut id quod minus est, possit efficere id quod majus efficit. Contra hunc errorem quum primum Erasmus illum docere cepit, scripsit quidam Joannes Deitembergius. Post istum aliquanto tempore interjecto scripsit contra eundem Brasmi errorem Robertus Genales, ex Academia Parisiensis.

Sexta hæresis adversus nuptias, aut matrimonium exorta est, quæ sic extollit nuptias, ut eas non vereatur equare virginitati. Sed de hac hæresi infra disseremus, in titulo de virginitate. In quo loco pro ipsa virginitate pugnavi decrevi, & utinam tam facile hostes illius carnales vincere possem, quam facile de hostibus illius spiritualibus, Deo adjutore, me triumphaturum spero.

OBEDIENTIA.

OMNES scelerati, ac facinorosi homines quo facilius & liberius, quæ voluerint scelera committere possint, libertatem optant, vel ut verius dicam, liberam servitutem, quoniam juxta illam, quam capiunt libertatem miseriam servituti se addicunt, Salvatore nostro dicente: *(Joann. 8.) Qui facit peccatum servus est peccati.* Hæretici aliqui timentes, ne propter sua scelera, & venenosas doctrinas à prælatis Ecclesiæ punirentur, juxta potestatem à Deo illis collatam, ad hoc asylum confugerunt, ut eorum plures negaverint obedientiam esse præstandam Prælatis Ecclesiæ. Hujus erroris primi auctores fuere Valdenses, impii ac sceleratissimi homines, qui more viperarum, viscera matris Ecclesiæ, à qua per baptismum fuerant geniti, rodere conati sunt. Hi enim omnem Ecclesiæ potestatem, & ordinem tollere volebant, dicentes non esse obediendum Romano Pontifici, aut aliis Prælati. Eundem errorem docuerunt Pseudo-apostoli, Vviclephitæ, Hussitæ: & nunc Lutherani dicunt non esse obediendum Prælatis Ecclesiæ, nisi in illis solum, quæ in sacra scriptura sunt apertissime expressa, Begardi, & Beguinæ dixerunt eos, qui ad perfectionis statum pervenerint, non esse alicui humanæ potestati subiectos. De his omnibus hæreticis, & de errore illis omnibus communi, jam supra satis (ut opinor) diximus in titulo de Ecclesia, hæresi tertia: quo loco ostendimus Ecclesiæ posse condere leges, & statuta quæ non sint expressa in sacris litteris: cuius constitutionibus quilibet tenetur obedire: non est ergo opus illa iterum repetere.

OCCIDERE.

Inter alios Valdensium errores, quos Guido recenset, hic unus est, quo docent nullum hominem posse occidi justè, etiam si id fiat ex judicii præcepto. Eundem errorem postea docuit, quidam Nicolaus Galeus ex Bohemia oriundus, qui fuit unus de legatis à Bohemia ad Concilium Basiliense missis. Hic error aperte convincitur: quia per illum tollitur humanus convictus, & omnis honesta politia pervertitur, quoniam per hanc doctrinam

nam nulla erit pax: at pace sublata, nulla respublica potest salva consistere, nec homines in ea quiete vivere. Cum ergo pax sit nobis tam necessaria, ut eam nobis Christus ex maximo affectu commendaverit, & quasi testamento eam nobis prope mortem legaverit, convincitur illam doctrinam esse erroneam per quam pax totius reipublicæ turbatur. Turbatur autem pax, nisi scelerati & malefici occidantur. Hæresis est ergo asserere non posse occidi. Omnis enim respublica est velut corpus quoddam humanum, cuius caput est Dominus & rector: alii autem homines sunt invicem membra. Apostolus Paulus totam Reipublicam Christianam, hoc est Ecclesiam, vocat unum corpus, cuius caput est Christus: singuli autem homines alter alterius membra. *(Rom. 12.)* Si autem in corpore humano, aliquid particulare membrum laboraverit aliquo morbo, homo cuius membrum male habet, procurat omnibus modis, quibus potest illud restituere in pristinam sanitatem; omnem adhibet medicinam, admoveat fomenta quæ potest. Quod si nulla via potest illi membro subveniri, libenter patitur incisionem, quoniam præstat perdere unum membrum, quam perdere totum corpus. Ad hunc modum fit in Republica, cum quilibet homo sit tamquam particulare membrum in corpore, quod est respublica. Si talis homo commiserit aliquid grave crimen, laborandum est ad ejus emendationem: Quod si nulla est spes de emendatione illius, oportet illum perdere usque ad mortem, & separare à toto corpore, ne reliqua membra inficiat. Unum enim pecus inficit omne pecus. Quod si nunquam esset mors indigenda, terra esset plena latronibus, mare piratis, nulla essent res tutæ. Ut ergo sit debita in populo quies, & tranquillitas, expedit ut sceleratus homo occidatur, ne tota gens pereat. Præterea supra cum de bello ageremus, ostendimus bellum posse justè geri ab homine habente potestatem, si ea adiunt quæ ad justum bellum exiguntur. At cum non possint homines in bello congregari, quin sæpe multis in eo fiant hominum occisiones, convincitur inde, ut si bellare licet, liceat etiam occidere. Rursum beatus Petrus Apostolus punivit morte Ananiam, & Saphiram, quia vendito agro fraudaverunt de pretio, non portantes coram Apostolis totum pretium, sed aliquid sibi reservantes. *(Act. 5.)* Et hoc solum exemplum sufficit ad prosternendum horum hæreticorum hæresim, quoniam hoc in tempore novæ legis actum est, quo tempore propter legis benignitatem dicunt non esse licitum, quantumque ex causa hominem occidere. Petrus tamen hanc benignitatem agnoscentes, non dubitavit morte punire Ananiam, & Saphiram, quoniam sciebant veram misericordiam habere semper in suo comitatu justitiam, quæ non patitur maleficos vivere super terram. Sed hoc loco obijciunt nobis hæretici præceptum divinum, quo prohibet occisionem, dicens: *(Erod. 20.) Non occides.* Hanc autem objectioni respondemus, per illa verba non esse prohibitam omnem occisionem, sed illam quæ à persona privata fit, non autem illam, quæ à iudice ex justa causa deseritur indigenda. Hoc autem ita esse ex eo convincitur, quod in lege veteri erat illud idem præceptum, & sub eisdem verbis, videlicet, non occides: & tamen cum illo præcepto fuerunt multe aliæ leges, quibus præcipiebatur hominis occiso propter peccata aliqua, ut patet de punitione blasphemii & definitione furis nocturni. *(Lev. 24.)* Quod si per illa verba, videlicet, non occides, esset prohibita quælibet hominis occiso: esset tunc necessarium fieri Deum præcepisse contraria, quæ nullo modo fieri poterant.

mercedis æternæ factam laudet, aperte convincitur inde, non esse malum omne opus spe mercedis æternæ factum. Deinde in eadem epistola Mofes laudat de fide, per quam res omnes hujus mundi contempfit, causamque hujus contemptus reddens, nullam aliam expressit, nisi spem mercedis æternæ. Sic enim ait: (Ibidem) *Fidei Moses grandis factus, negavit se esse filium filie Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias existimans thesauro Ægyptiorum improprium Christi. Aspiciebat enim in remunerationem. Cum negavit se esse filium filie Pharaonis, regiam dignitatem contempfit, ac proinde honores hujus sæculi se pro nihilo habere ostendit. Eligens affligi cum populo Dei, qui in iusto, & latere serviebat, magis quam temporalis peccati habere jucunditatem, aperte declaravit, quanti mundi hujus delicias aestimaverit. Cum vero improprium Christi, hoc est, injurias vel pro Christo, vel ad Christi similitudinem patienter toleratas, majores aestimavit thesauro Ægyptiorum, manifeste ostendit, quid de hujus sæculi divitiis senserit. Causam autem, à qua totus iste rerum temporalium contemptus processerit, Paulus expressit, dicens: *Aspiciebat enim in remunerationem.* Credidit quidem Moyses alia multo majora bona in posterum manere, que Deus humilibus, & hujus mundi contemptribus daturus erat, & propter hanc remunerationem, quam credidit futuram, voluit hujus sæculi divitias, honores, & delicias contemnere, ut in alia vita divitias & delicias nunquam defuturas haberet. Non est ergo malum opus, quod sit spe mercedis æternæ, quamquam ego non crediderim tale opus esse meritorium nisi à charitate procedat, quoniam charitas est radix à qua tota vis meriti oritur. Verum & si tale opus quod præcise in spe præmii fit, non sit meritorium, non tamen ideo est malum, quoniam sicut nec omne bonum opus est meritorium, ita nec omne quod à ratione meriti deficit est malum. Potest etiam aliquod opus à charitate oriri, & quod agens illud alliciat ad illud operandum per spem præmii, ita tamen quod licet præmio esset frustrandus non cessaret ab opere, quoniam operatur ex charitate, quamvis allicitur à spe præmii. Tale ergo opus sic factum erit bonum & meritorium, & factum spe mercedis æternæ. Et qui sic operatur, non est censendus mercenarius talis, qualem illum depingit Salvator noster, quum illum distinguit à bono & vero pastore. Nam ille non ex charitate, qua ad oves efficitur, sed sola mercedis spe pascit oves, Mercenarius autem (inquit Salvator Joan. 10.) *fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Ille autem est ad quem pertinet de ovibus qui sic illis afficitur, & sic illas curat, ac si essent suæ. Et hic quamvis ex labore suo aliquam speret mercedem, non est censendus mercenarius: quia etiam si talem non speraret mercedem, nihilominus illas pascere curaret, & quamvis lupum ad oves venientem videret, non fugeret. Hic ergo qui isto modo sui laboris mercedem sperat, sicut non censetur apud Deum mercenarius malus, ita etiam ab eo prohibujmodi labore acceptatur ad vitam æternam. Denique hæc Lutheri sententia damnata est in Concilio Tridentino, quod sub Paulo tertio celebratum est, quod sessione sexta canonem unum, videlicet trigessimumprimum de hæc protulit, cujus hæc sunt verba: Si quis dixerit, justificationem peccare dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. Hæc Concilium Tridentinum. Contra hæc hæresim nescio aliquem ex professo scripissè, quamvis*

multos vidi, qui contra errores Lutheri & sectatorum illius scripserunt, non, ut nobis quibusdam videtur, in Tertia hæresis docet esse hominis imperfecti exercere se operibus virtuosis: quapropter ait hominem cum ad ultimum statum perfectionis venerit, nulla bona opera debere facere. Hujus tamen dementis erroris auctores fuerunt Begardi & Beguinz. Lutherus tamen truculentior bestia, istorum hæreticorum errorem auget, dicens, non solum homini perfecto, sed nulli alteri homini esse necessaria opera ad vitam æternam consequendam; quoniam (ut ait) sola fides sine operibus sufficit. Verum hunc ejus errorem jam supra expugnavimus in tit. De fide, hæresi 2. ubi ex sacris ostendimus opera esse cuiquam homini necessaria, ut vitam æternam assequi possit. Contra Begardos & Beguinas concedentes opera esse necessaria hominibus imperfectis, non autem perfectis, est testimonium quod Christus dedit de Joanne Baptista, dicens: (Matth. 11.) *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Quibus verbis aperte docuit, Joannem Baptistam ad eam virtutis gradum pervenisse, ultra quem nullus inter natos mulierum progressus est. At de eodem Joanne Baptista Evangelista refert quod se exercuerit in operibus abstinentiæ: & Christus illum laudavit coram Judæis de admirabili illius temperantia & fortitudine, ita ut nec adversis deprimetur, nec prosperis erigeretur. Non est ergo hominis imperfecti exercere se in operibus studiosis. Præterea, Paulus Apostolus ait: (Galat. 5.) *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Homo ergo quantumlibet perfectus, oportet ut crucifigat carnem cum vitiis, alioqui non erit Christi. Quod si forte vult facere volat in verbo præteriti temporis, ita ut eos dicat Paulus ad Christum pertinere, qui jam crucifixerunt carnem suam: non autem eos qui eam crucifigunt: quoniam tunc cum operantur, est dispositio ad perfectionem, que tunc habetur cum fuerint opera facta, non cum sunt: hoc rejicitur ejusdem Pauli testimonio, qui de seipso ait: (2. Cor. 12.) *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Et hoc dicit homo ad tertium cælum raptus, qui vidit arcana Dei quæ non licet homini loqui, homo inquam electus à Domino, ut esset vas in quod Deus infunderet oleum gratiæ suæ. Iste castigat corpus suum, & non venientur impii Begardi asserere, esse hominis imperfecti exercere se in operibus studiosis. Rursum, ipse Christus fons & origo totius perfectionis, jejunavit, & alia virtutis opera fecit: nullas tamen citra impietatem erit tam demens, ut Christo aliquam imperfectionem impingat. Demum hic error damnatus est in Concilio Viennensi sub Clemente 5. celebrato: in quo damnati sunt octo Begardorum & Beguinarum errores, quorum unus est is de quo modo loquuti sumus. Hujus autem Concilii definitio habetur in libro Clementinarum epistolularum, titulo de Hæreticis, capitulo cujus initium est, Ad nostram, &c.

Quarta hæresis docet nullum opus humanum quantumlibet bonum, esse vitæ æternæ meritorium, neque ad vitam æternam assequendam necessarium. Hujus hæresis inventor & primus auctor est Lutherus, qui semper operibus humanis detraxit. Ut autem hoc non sine ratione dixisse videatur, specie pietatis hæc hæresim obrexit, dicens eos qui operibus humanis meritum gloriæ tribuunt, derogare meritis Christi, quibus solis salvi facti sumus. At si opera nostra bona mererentur vitam æternam, non solis Christi meritis, ut Lutherus ait, salvarentur. Hæc

hæresis necessario consequitur, ex alia ejusdem Lutheri, de qua in primo loco hujus tituli De operibus differimus. Eo siquidem loco diximus illum asserere, omnia hominis opera quantumlibet recte facta, esse peccata, & justum dicit in omni bono opere peccare. Nam si omne opus humanum est peccatum, necessario consequitur, ut per nullum opus possit homo vitam æternam mereri. Absurdum enim esset, & ab omni ratione alienum, si diceretur hominem per peccata mereri vitam æternam, quia peccata debetur pena, & præmium. Nullus est tam demens ut dicat, hominem mereri apud Deum præmium per illius offensam, per quam illum irritavit & exacerbavit. Hæc ergo ratione bene circumspecta, non possum non mirari, quomodo multi alii ex Lutheri factione sibi ipsis constare possint. Nam Philippus Melancton, & Joannes Calvinus, & Martinus Batzerus, & Joannes Spangebergus, denique omnes protestantes in confessione Augustana fatentur meritum operum nostrorum: quia videntur testimonia sacre scripturæ & sanctorum Doctorum tam aperta, ut coacti fuerint fateri meritum aliquid in nostris operibus. Philippus Melancton in locis communibus, titulo De bonis operibus circa finem capituli, hæc ait: Tertio sciendum est, etiam præmia proposita esse bonis operibus, seu bona opera mereri præmia corporalia & spiritualia: Et paucis interpositis, subdit: Hic autem sciendum est, nos loqui de bonis operibus iustorum. Prius enim accipienda est fide remissio peccatorum, reconciliatio & acceptatio ad vitam æternam, & hæc donatur per misericordiam propter Christum, ut maneat certa. Et in fine illius capituli denique ait: Et ut sæpe jam dictum est, tribuatur merces operibus, ita ne fiat incerta remissio peccatorum. Item, ne transferatur beneficium Christi in nostrorum operum dignitatem, persona justificatur coram Deo gratis fide, quæ nititur tantum misericordia, postea placeat Deo bona opera, & merentur mercedem. Hæc Philippus Melancton. In quibus verbis etiam fatetur bona opera mereri præmia corporalia & spiritualia, nunquam tamen aperte fatetur, nos per bona opera mereri vitam æternam. Et hæc Philippi sententiam multo apertius declarat Joannes Spangebergus, qui in sua Margarita theologica, titulo de bonis operibus, & merentur an bona opera mereantur vitam æternam, hæc ait: Nequaquam sciendum est, quod propter dignitatem & mundiciam bonorum operum deur vita æterna. Sed est beneficium gratuitum, & datur per misericordiam propter Christum. Et ratio est, quia nostra obedientia semper adhuc est imunda, nec placet propter seipsam, sed placet propter Christum. Et aliquibus interjectis subdit: Nec eludi sinuamus cavillatione, quæ fingit synecdochen videlicet, etiam si bona opera non sint totale meritum: tamen esse aliquid pariale, & minus principale meritum, quia sic niteatur fides illo partiali, quod est impossibile. Est enim contradictio, statueret quod gratis accipiamus vitam æternam per misericordiam propter Christum, & imaginari quod nostra obedientia mereatur vitam æternam. Et post pauca iterum ait: Sic ergo sciendum est, & si nostra obedientia non est meritum vitæ æternæ, nec propter eam salvamur, sed propter Christum gratis: tamen est debitum quod necessario sequi debet, & meretur præmia corporalia & spiritualia, quæ partim in hac vita, partim post hæc vitam reddentur. Hæc ille Joannes Spangebergus. In quibus verbis fatetur necessitatem operum ad vitam æternam assequendam: quia dicit, obedientiam esse debitum quod necessario sequi debet, & illam mereri præmia

corporalia & spiritualia, tamen aperte negat illam mereri vitam æternam. Idem profus dicit Joannes Calvinus in suo illo libello, quem addidit contra decreta data à Concilio Tridentino in sexta sessione, cap. 16. & canone 32. Isti omnes fatentur nostris operibus inesse aliquid meritum, cui respondent præmia corporalia, & spiritualia, quamvis non vita æterna. Et hi omnes pariter dicunt, Justum hic in omni bono opere peccare. Quæ duæ assertiones contra se invicem apertissime pugnant. Quoniam, ut jam dixi, non est possibile, ut quis apud Deum mereatur præmium aliquid spirituale per peccatum, cum scriptura sacra aperte testetur, odio simul esse Deo impium, & impletatem ejus. (Sap. 4.) Sed Calvinus intelligens optime hæc sententiarum pugnam, ut illas conciliaret, dixit, opera nostra quamvis esse sint peccata, hoc tamen nomine esse accepta Deo, quod ille paterna indulgentia ignoscit, quicquid in illis est vitiosum. Verum in hac sua conciliatione operam perdidit, & latere rem lavasse mihi videtur Calvinus: quoniam nihil minus agit, quam id quod agere nititur. Nam, aut Deus in nostris operibus id quod est culpabile ignoscit, quum sunt, aut postquam facta sunt. Si cum sunt ignoscit, necessario cogetur Calvinus fateri, aliquid opus hominis non esse peccatum. Si autem postquam facta sunt, Deus ignoscit, necessarium est, ut facerent opera illa non esse meritoria, quam sibi aut simul esse meritoria & peccata. Magis ergo sibi constat in hac parte Lutherus, quam hi omnes illius sectatores, quoniam Lutherus, ut à principio dixi, asserens omnia opera hominis esse peccata, consequenter asseruit nullum opus humanum mereri vitam æternam. Omnes isti ælii quæ ex parte contra se invicem pugnant, concorditer tamen asserunt, in nullo opere humano quantumlibet bono, esse meritum vitæ æternæ. Ut autem hæc assertioem hæreticam esse aperte convincamus, oportet ante omnia statuere quid sit meritum, ne forte in æquivoco laboremus, aut de varia vocis significatione contendamus. Sed quia omne æquivocum, ut Aristoteles docet, prius est dividendum, quam definiendum, ideo varias meriti significationes distinguere oportet, & postea meritum definiemus juxta illam significationem, qua uti debemus in præsentis disputatione. Nomen meriti apud Latinos & probatos Auctores non solum tribuitur bonis, sed etiam malis operibus humanis, ita ut per mala opera penam mereri dicant, perinde ac per bona opera præmium. Ovidius libro quarto Metamorphoseos dicit: *Quam meruit penam solus, digessi in omnes.* Et idem in epistola quinta iterum dicit, non minus leniter ex merito quicquid patiare ferendum est. Et in eadem epistola ad Ciceroem dicit: *Seis meam fortunam, nescio quomodo facile obrectatores invenierim, non meo me hercle merito. Hæc ille.* In quibus verbis, ut aperte constat, meritum est positum pro culpa. Neque apud solos prophanos Auctores invenitur meriti nomen malis operibus tributum, sed etiam apud sacras litteras. Nam Jehu Propheta Domini, ut sacra refert historia, (2. Par. 19.) dixit ad Josaphat Regem Juda: *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungebaris: & idcirco iram Domini merebaris: sed bona opera incerta sunt in te.* Et de Aman suspensio in ea epistola, quam ad omnes sibi subiectas provincias scripsit Assuerus, dicit: (Ester. 16.) *Non nobis, sed Deo radente ei, quod meruit.* Et Sophtar Naamathites ad Job loquens ait: (Job. 11.) *Utinam Deus loquatur tunc, &*

cipes Civitatis, hoc est, gratia Dei magis confortat hominem, quam omne auxilium humanum, & causam hujus reddens, statim subiungit: *Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Ac si diceret: Inde convincitur gratiam Dei magis confortare hominem, quam omnes Principes mundi, quia adjunctus gratia Dei potest vincere omne peccatum: desitutus tamen Dei gratia, etiam si auxilium omnium Principum mundi habeat, non poterit peccatum omnè evadere. Ex qua interpretatione patet Ecclesiastem, nullo pacto adversari nostræ sententiæ. Secundo obijcit nobis illud beati Joannis in ejus prima canonica: (cap. 2.) *Si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Cui objectioni respondemus multa esse peccata venialia, à quibus nullus quantumvis iustus liberatur, quin in multa illorum labatur, quoniam, ut ait beatus Jacobus, *in multis offendimus omnes.* Non dixit, in omnibus offendimus, sed in multis: non tamen inde sequitur, ut omne opus nostrum sit peccatum. Ecce Lutherum qui Scholasticos Theologos vocare solet sophistas, nunc uno nugacissimo sophismate nos decipere credit. Quis non videt hujus collectionis fallaciam? Omnis homo iustus habet aliquid peccatum: ergo omne opus ejus est peccatum. Sic Lutherus juxta suam dialecticam didicit ex particulari inferre universalem. Sic etiam accipiendum est illud Psalmistæ: (Psalm. 142.) *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Verum est certe nullum hominem, si juxta rigorem justitiæ divinæ examineur, inveniri justum, quoniam (ut ex Jacobo Apostolo jam diximus) *in multis offendimus omnes.* Nullus ergo iustus inveniretur, si Deus strictissime vellet examinare. At qualis est ista collectio: Nullus homo reperiretur iustus districtè examinatus: ergo nullum opus hominis est bonum? Omnis enim homo est iustus, non tamen inde oportet colligere, ut omne opus hominis sit peccatum. Sic etiam intelligendum est, quod Augustinus lib. 9. Confessionum ait: *Væ (inquit) hominum vitæ quantumcumque laudabili, si remota misericordia iudicetur.* Væ vitæ hominum dixit: & non dixit væ omnibus hominum operibus: quoniam est nullius hominis vita sit adeo perfecta, ut non habeat admixta plura venialia peccata, tamen multa sunt opera, quæ Augustinus peccata carere non dubitat: quoniam in eodem loco beatus Augustinus de matre sua loquens, dicit illam multa bona opera fecisse, propter quæ ipse reddidit gratias Deo. Alia etiam opera illam fecisse fatetur, quæ egent misericordia divina, pro quibus se Deum precari dicit. Tertio nobis obijcit Lutherus Esaiam Prophetam, (cap. 7.) dicentem: *Et facti sumus, ut immundi omnes nos, & quasi pannus menstruatus universa justitia nostra.* Hoc Esaiæ testimonio se triumphasse credit Lutherus, quoniam in universum opera nostra damnare videtur Prophetam, cum omnes nostras justitias comparat pannu menstruato, qui multis maculis resperus est. Verum est illud Esaiæ testimonium in faciem Luthero favere videatur: tamen si littera bene & prout decet inspicatur, apertissime cognoscitur nihil pro Luthero dicere. Nam illic Propheta non suo nomine loquitur, sed nomine populi: nec etiam totius populi, sed solum nomine populi Israelitici. Nec eo nomine sic loquitur, ut ad omne tempus sua verba referat, sed solum ad illud tempus, quo Propheta illa dicebat: quo tempore abundabat peccatum in populo Israel: propter quod Deus permissurus

erat, ut in captivitatem duceretur. Hoc ergo prævidens Propheta, peccatur Deum pro populo, & de illo tempore loquens, ait: *facti sumus immundi omnes, & quasi pannus menstruatus universa justitia nostra.* Quæ verba nomine populi sui protulit. Alioqui si ad omnes referenda sunt verba illa, quomodo vera erunt quæ sequuntur? *Et cecidimus (inquit) quasi solium universi, & iniquitates nostræ, quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui invocet nomen tuum, qui conjurat, & teneat te.* Numquid Esaias non invocavit nomen Dei? Absit, ut quis hoc dicere audeat. Si ergo hæc verba ad Esaiam, & ad alios qui Deum coluerunt, & nomen ejus invocaverunt, referri non possunt: nec etiam alia, quæ Lutherus obijcit, referri ad eos poterunt, cum omnia illa verba uno orationis decursu de eisdem personis dicantur. Et quod illa verba sint referenda ad solum illud tempus captivitatis, conijci facile potest ex verbis, quæ parum infra subiungit Propheta, dicens: *Ne irascaris Domine satis, & ne ultra memineris iniquitatis nostræ. Ecce respice, populus tuus omnes nos. Civitas sancti tui facta est deserta. Sion deserta facta est, Hierusalem desolata est: domus sanctificationis nostræ, & gloria nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in extinctionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Hæc autem verba apertissime dicuntur de captivitate populi Israelitici, ad quod tempus reliqua verba illius capitis referuntur. At ex hoc quod illo tempore omnes justitiæ fuerint sicut pannus menstruatus, non licet colligere ita esse omni tempore. Adde, quod beatus Hieronymus refert illa verba esse interpretanda de operibus factis ante Christi incarnationem sub tempore, videlicet legis Moisaicæ, & non de operibus factis sub lege Evangelica, ita ut si quis nunc sub lege Evangelica cæremonias legis veteris servare vellet, omnes justitiæ ejus erunt sicut pannus menstruatus. Et justitiæ legis veteris, si ad justitias novæ legis comparantur, dicit eas debere dici immunditias. Ex quibus omnibus convincimus, illud Esaiæ testimonium nullo pacto favere Luthero. Quarto loco nobis obijciunt beatus Gregorius, qui libro nono moralium, capite primo, hæc ait: *Quia sanctus, ut vir omne meritum virtutis nostræ vitium esse conficit, si ab interno arbitro districtè iudicetur, ideo recusat, te subiungit: Si volueris contendere cum eo, non poteris, eo ei respondere unum pro mille.* Hæc Gregorius: in quibus verbis, ut fideliter causam adversariorum referam, duo annotanda sunt. Primum est quod eloquio illa Gregorii est universalis ad omne opus bonum. Alterum est quod dicit verba illa esse dicta à beato Job, non quidem propter solam humilitatem, propter quam sæpe homines iusti falsa contra se dicere solent: sed ideo dicta esse, quia vera erant. Nam dixit sanctum virum conspiciere omne meritum virtutis nostræ esse vitium. Non autem conspiciamus, nisi id quod re vera est. Hoc Gregorii testimonium adeo æstimant Lutherani, ut putent se per illud triumphare de nobis. Sed re vera ego valde miror, quod non vereantur illud contra nos proferre, cum ipsi sanctorum omnium testimonia pro libito suo rejiciant, dicentes illos fuisse homines, ut nos, qui perinde porruerunt decipi, ac nos. Deinde in illo Gregorii testimonio est aliquid, quod aliam illorum doctrinam falsam esse testatur. Nam illi negant meritum aliquid esse in bonis nostris operibus, quod tamen Gregorius in verbis præfatis aperte fatetur. Si Gregorii testimonium aliquid robur haberet, oportet ut illi fateantur aliquid esse in nostris virtutibus meritum, quia Gregorius illud esse testatur. Si Gregorium, pro hæc

parte rejiciant, cur non vereantur illud nobis pro alia parte obijcere? Iustum siquidem est, ut in duello arma sint æqualia. Iustum etiam est, ut quæ mensura, quæque alium metiri voluerit, eadem & seipsam metiatur: quæ jure divino, & naturali prohibitum est, ne quis in suo sacculo diversa pondera, aut diversa mensuras habeat. (Deut. 25.) Sed ne hujusmodi coloribus, videtur fugere vitium: nunc volo respondere testimonio Gregorii, & ostendam nihil illi favere. Nam Gregorius non dixit absolute, & sine ulla limitatione omne meritum virtutis nostræ esse vitium, sed addidit statim limitationem conditionalem, dicens: Si districtè iudicetur. Et nos adjecta hæc conditione etiam temporum, omni opus hominis bonum, esse vitium, si Deus illud districtè iudicare velit: juxta rationes debito: Bona, quibus illi ex natura sumus debitores, & non juxta misericordiam suæ rationem, qua rigorem illum justitiæ temperare voluit. Nam posset Deus, si vellet, multa plura, & majora à nobis exigere, & non juxta quædam, & tanta nobis contulit, ut si totum id quod agere possumus, illi tribueremus, & in illum solum refereremus, adhuc mediam debiti partem non solveremus. Ideo Chryostomus in libro de compunctione cordis, ait: *Besti milites moriamur, est omnes virtutes animæ expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quæ ipsi à Deo percipimus.* Et iterum in quadam homilia ait: *Si totum tempus vitæ hujus occupent obsequia, laudes, teque neant, gratiarum actiones miserit, non poteris penitere, quod debes.* Hæc Chryostomus: Et hoc est quod dicit Job: *Vere scio quod ita sit, & quod non justificetur homo compositione Deo. Si volueris, contendere cum eo, non poteris ei respondere unum pro mille.* Ac si diceret: Si quis cum Deo dati & accepti rationem ponere voluerit, pro quibuslibet mille à Deo receptis, non poterit assignare unum, quod ille donaverit. Et propterea dicit se vere scire, quod non justificabitur homo compositione Deo, hoc est, ad rationem computi positus cum Deo. Si juxta hunc rigorem justitiæ Deus iudicare vellet, multa & innumera nobis deciderent tantorum debitorum solutionem: multa etiam in nostris operibus, quantumlibet etiam recte factis, deciderent, propter quæ merito illa damnari possent. Considerans igitur beatus Gregorius summam Dei bonitatem, & eximia ab illo nobis collata beneficia, conspexit nos tantum Deo debere, ut si Deus à nobis debiti rationem exigere vellet, numquam debitum persolvere possemus. Ob hæc igitur causam dixit: omne meritum virtutis nostræ esse vitium, & omnem justitiam nostram esse injustitiam, si à Deo districtè iudicetur. Quia quantumlibet conemur, numquam possumus tam ex animo, & tam pure, atque ferventer Deo servire, quam ipse à nobis posset exigere, si vellet. Sed propter suam misericordiam, considerans quod caro sumus, & lutum fragile, & quod fortitudo nostra non est fortitudo lapidum, neque caro nostra ænea est, noluit à nobis tot & tanta exigere, sed solum decem præceptorum possibilem nobis observationem. Hæc igitur tanta nobis à Deo exhibitæ misericordia, multa nunc vere non sunt peccata, quæ alias si Deus juxta rigorem justitiæ iudicare voluisset, peccata merito censenda essent. Adversus hunc Lutheri errorem scripsit, egregie Joannes Rossensis Episcopus in sua assertionem confutationis Lutherianæ articulis duobus, videlicet tricesimo primo, & tricesimo secundo. Scripsit etiam Jodocus Clithoveus in suo Antiluthero, & Gaspar Sagerus Minorita in suo Scrutinio divina scripturæ, Conatu tertio. Et nos etiam adhuc

aliquid dicemus infra in tit. de peccato, & in tit. de præcepto. *Secunda hæresis docet nullum opus esse bonum, nisi fiat ex puro & sincero amore, quæcumque ex causa fiat, etiam spe mercedis æternæ.* Hujus erroris auctor primus fuit quidam Bagaurius de monte falcone, qui hoc docens in partibus Catalonia, damnatus fuit cum hoc errore per Sanctum Tarraconensem Archiepiscopum. Hæc referuntur à Fratre Bernardo de Lazemburgo in suo Catholico hæreticorum. Hæc error damnatur testimonio Prophetæ dicentis: (Psalm. 148.) *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Et Dominus eleemosynam persuadens, ait: (Luc. 16.) *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defecerit, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quibus verbis docet nos facere eleemosynam propter vitam æternam habendam. Et alibi sæpe postquam aliquid præceperat, statim subiungit promissionem vitæ æternæ cuiuscumque facient illud, ut per spem præmii alliceret hominem ad opus præceptorum. Agite (inquit) (Matth. 4.) *penitentiam, appropinquabit regnum Cælorum.* Et si opus factum spe vitæ æternæ esse malum, Christus non alliceret nos per spem præmii ad illud faciendum. Præterea Paulus Apostolus ait: (1. Cor. 6.) *Quoniam debet in spe, qui arat, & arat: & qui trahit in spe fructus percipiendi.* Et idem Paulus sæpe etiam per spem præmii ad virtutis opera hortatur. Nescitis inquit ille (Ibidem) quod ille qui in stadio currit, omnes iniquitates currunt, sed nihil accipit præmii. Sic currite, ut comprehendatis. Quibus verbis per metaphoram sumptum ab iis, qui ex contentione currunt ad præmii propositum, admonet ad cursum celeritatem in via mandatorum Dei, propter præmii vitæ æternæ in fine cursus acquirendum. Timotheum discipulum etiam ad boni operis exercitium admonet per spem præmii, sic dicens: (1. Tim. 4.) *Exerce autem te ipsum ad pietatem, nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est. Plagas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunquam efficitur. Hoc idem fecit Petrus Apostolorum princeps in secunda sua canonice epistola, (cap. 1.) hæc dicens: *Satagite, ut per vestra bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciat. Rursum beatus Paulus, aliquos laudat propter bona opera, quæ tamen ipsismet testatur, illos fecisse propter spem mercedis æternæ.* *Gratias agimus Deo (inquit ille Collossenibus scribens) & Patri Domini nostri Jesu Christi semper pro vobis orantes, audientes fidem vestram in Christo Jesu, & dilectionem, quam habetis in sanctis omnes propter spem, quæ reposita est vobis in Cælis.* Et in epistola ad Hebræos (cap. 11.) laudat Abraham de fide & obedientia, quam habuit propter spem vitæ æternæ, sic dicens: *Fide qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat hereditatem, & exiit nesciens quo iret. Fide demoratus est in terra repromissionis: tanquam in aliena, in casulis habitando cum Isaac, & Jacob coheredibus repromissionis ejusdem. Expectabat enim fundamenta habentem civitatem, cuius architectus & conditor Deus.* Dicens, fundamenta habentem civitatem, ecclestem gloriam significavit: quia hæc tam firma habet fundamenta, ut nunquam corrumpi possit. Fundamentum enim cui illa innitit, est promissio divina, dicens: *Ibunt iusti in vitam æternam.* In spem hujus civitatis tam firma fundamenta habentis, voluit Abraham demorari in terra repromissionis tanquam in aliena, in casulis villibus habitando. Cum igitur Paulus illud Abraham opus propter spem*

Abſit autem ut dicamus Deum præcepiſſe aliquid impoſſibile. Ut ergo non ſit repugnantia in mandatis Dei, oportet fieri in illo præcepto, non occides, non eſt prohibitam omnem occiſionem, quoniam in lege Evangelica, ipſemet Saluator confirmaviſſe videtur legem de occiſione hominis, qui alium occiderit, cum dixit: (Mat. 16.) Omnis qui occiderit gladio, gladio peribit. Ita enim Chriſtianus Druthmarus ſuper Matthæum interpretatur locum illum. Et beatus Hieronymus ſuper 22. Hieremias ait: Homicidas, & ſacrilegos, & venenarios punire, non eſt eſſaſio ſanguinis, ſed legum miniſterium.

Alia eſt hæreſis quæ cum hac proxime narrata, velut ex diametro pugnat, docens homines ſeipſos occidere, ut palmam martyrii aſſequi mereantur. Circumcelliones namque dixerunt eos qui ſeipſos occidunt, eſſe Martyres cenſendos, eo quod mortem ultronei patiuntur. Sed de hoc errore jam ſupra diſſerimus in titulo, Martyrium.

Tertia hæreſis eſt, quæ aſſerit licere culibet homini occidere tyrannum, etiam per inſidias, non obſtante quacumque confederatione inter eos facta, etiam ſi fuiſſet juramento firmata. Sed de hoc errore infra in titulo de Tyranno diſputabimus.

O P E R A.

NON fatiſ ſe feciſſe, arbitratur Lutherus, quod opera humana rejecerit, dicens ea non eſſe neceſſaria, niſi illa etiam damnaret, aſſerens omnia opera cujuſlibet hominis, quantumlibet etiam recte facta, eſſe peccata. Juſtum enim hominem dicit peccare in omni bono opere. Hunc autem errorem ex alio non minus pernicioſo deducit. Nam Lutherus arbitratur per illud primum, & maximum legis mandatum, quod eſt de dilectione Dei, obligari homines ad conſummatam charitatis perfectionem: ad quam quia nullus in hac vita pertingere poteſt, quoniam illa expectatur in præmium, ideo dicit Lutherus toties homines peccare, quoties aliquid ex charitate faciendum deſicit ab illa ſumma charitatis perfectione. Exiſtimat etiam Lutherus per illud præceptum: Non concupiſce, eſſe prohibitum carnis appetitum, quem nullus homo à ſe poteſt abjicere, quamvis poſſit reprimere, quoniam caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem. (Galat. 5.) Quia ergo hæc duo ſibi adverſantur, ut non quæcumque velimus faciamus, ideo dicit juſtum in omni bono opere peccare, & omnia opera noſtra quantumlibet bona eſſe cenſenda peccata, quia videlicet in omni tali opere caro reluctatur, & repugnat ſpiritui: quapropter tale opus dicit eſſe peccatum, quia eſt opus cum concupiſcentia factum, & ita contra præceptum illud: Non concupiſces. Ecce Lutheri fundamentum, ſuper quod hujus præſentis erroris fabricam ædificare conatur. Hoc fundamentum nos Deo ducere poſſe ſubvertemus, cum de præceptis diſſeremus. Ibi enim oſtendemus ex facris literis, & ex doctrina factorum Doctorum, illa duo præcepta non eſſe ita intelligenda, prout Lutherus illa intelligit. Hanc ergo cauſam uſque ad illum locum diferentes, de errore quem primo propoſuimus, diſputare oportet, ut doceamus contra Lutherum, neque omnia opera noſtra eſſe peccata, neque juſtum in omni bono opere peccare. Primo ergo producimus in teſtimonium noſtrum illud magnificum Abrahæ opus cum filium ſuum unigenitum, quem diligebat Iſaac, immolare voluit obediens Deo præcipienti. In cujus remunerationem promiſit Deus illi, ſe car-

nem ex illius ſemine ſuſcepturum. Sic enim ait: (Gen. 22.) Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terre, quia obedisti voci meæ. Quæ verba juxta Paulum (Galat. 3.) de Chriſto intelligenda ſunt. Non enim dixit, in ſemine tuo, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Si obedientia Abrahæ fuiſſet peccatum, non fuiſſet illi à Deo tantum, & tam honorificum præmium promiſſum. Præterea poſtquam Job paſſus fuerat tot tribulationes, & locutus fuiſſet verba illa patientiam ſuam maximam teſtante, ſcriptura ſtatim illum laudat, dicens: (Job. 1.) In omnibus hiſ non peccavit Job, neque ſtultum quid contra Deum locutus eſt. Si in omnibus illis non peccavit Job, non eſt ergo quodlibet hominis opus peccatum. Rurſum, beatus Paulus de hiſ, qui matrimonio junguntur diſſerens, ait: (1. Cor. 7.) Solutus eſ ab uxore, noli querere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccavit. Paulus dicit non peccare eum, qui capit uxorem, & non veretur Lutherus dicere omne opus noſtrum eſſe peccatum. Si ergo actus nubendi, juxta Paulum, non eſt peccatum: quid putas de aliis operibus eum dicturum, quæ idem Paulus cenſet eſſe meliora, quam actus nubendi? Et beatus Petrus poſtquam aliquor virtutes ad gloriam aſſequendam neceſſarias enumeraverat, ſtatim ſubjunct: (2. Pet. 1.) Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Et beatus Joannes in ſua prima canonica epistoſa, (cap. 3.) ait: Omnis qui in Deo manet, non peccat. Ne autem diſputaremus quærentes, quiſnam ſit ille qui manet in Deo, ipſe in eadem epistoſa (cap. 4.) declaravit, dicens: Deus charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Attende ergo Lutherus, & vide quam aperte tuam damnat Joannes ſententiam. Omnis qui manet in charitate, in Deo manet. Omnis qui in Deo manet, non peccat. Omnis ergo qui manet in charitate, non peccat. Aut ergo oportet te negare juſtos eſſe in charitate, aut cogere fieri juſtum in bono opere non peccare: quoniam omnis qui manet in charitate, non peccat. Perſpice lector obſecro, & conſidera quibus cancellis ſic coneluſus Lutherus, ut nulla illi pateat fuga. Quod ſi forte elabi velut anguis conatur, dicens opus eſſe charitate perfectæ ad hoc, ut maneamus in Deo, & Deus in nobis: talis autem charitas (ut Lutherus ait) in via non habetur: erit ergo juxta hanc reſponſionem dicendum, quod Deus in nullo homine habitat pro ſtatu hujus miſerie, eo quod non habet aliquis homo illam perfectam, quam Lutherus exigit charitatem. Sed ne aliqua via Luthero pateret exitus, hanc etiam tumulam obſtruxit beatus Joannes, cum in eadem epistoſa (cap. 2.) declaravit, quæ eſſet perfecta charitas. Sic enim ait: Qui ſervat verbum ejus, vere in hoc charitas Dei poſſeſſa eſt. Quid ergo dicit Lutherus? Nam quid progredietur ulterius, ut neget aliquem ſervaviſſe verba, hoc eſt mandata Dei? Si hoc negare non erubescit, audiat divinum Plaltem dicentem: (Pſalm. 118.) Custodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexit ea vehementer. Servavi mandata tua, & teſtimonia tua, quia omnes viæ meæ in conſpectu tuo. Et ſi hoc Prophetæ dictum non recipit Lutherus, eo quod Prophetæ de ſeipſo teſtimonium proferat, audiat Deum pro eodem Prophetæ teſtimonium proferentem. Nam ad Hieroboam loquens, (3. Reg. 14.) ait: Non fuiſti ſicut ſervus meus David, qui custodivit mandata mea, & ambulavit poſt me in toto corde ſuo. Deinde multæ ſunt perſuaſiones in ſacra ſcriptura, quibus admonemur ne umquam peccemus. At ſi juſtus in omni opere quantumlibet bono

peccat

peccat, fruſtra admonemur de eo, quod non eſt nobis liberum evitare. Traſſimini (inquit Propheta (Pſalm. 4.) & nolite peccare. Poſſibile eſt ergo hominem iratiſci, & non peccare. Unde colligitur non omne opus eſſe peccatum, quoniam non omnis ira. Et Dominus illi quem poſt 38. annos in inſinitate tranſactos priſtinæ incolumitati reſtituit, dixit: (Joann. 5.) Ecce Janus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Si omnia opera noſtra ſunt peccata, idem erit dicere, nolite peccare, & dicere, nolite operari: quoniam non eſt poſſibile operari ſine peccato. At cum multa opera præceperit Deus, qui peccatum prohibuit, convincitur inde, ut illa opera quæ fieri nobis Deus præcepit, aut conſuluit, non ſint cenſenda peccata. Nam aliqui oportebit fieri Deum præcepiſſe nobis contraria, ſeuumque pugnantia, cum opera præcepit, & peccatum prohibuit. Abſit autem, ut talem injuſtitiam Deo impingamus, ut dicamus illum præcepiſſe nobis ea, quæ fieri nullo modo poterant. Quapropter dicamus cum catholicis omnibus Doctoribus multa eſſe bona opera, quæ ex gratia & charitate facta mereantur, juxta legem divinam jam promulgatam, vitam æternam: quæ opera nullo modo peccata dicenda ſunt. Præter hæc omnia quæ aperte hanc Lutheri hæreſim expugnant, poteſt adhuc illam aperte convincere conſideratio multorum fruſtuum, quos ſacra ſcriptura teſtatur produci à bonis operibus, ſi illa vere eſſent peccata. Primo quidem opera bona vocantur lux à Salomone, dicente: (Prov. 4.) Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectum diem. Si enim opera bona fuerint in publico facta, lucere dicuntur, & illuminare eos coram quibus ſunt, ſicut aperte Saluator noſter appellavit Lucem, & tunc ea lucere dixit, quando in eo loco ſunt, in quo ab hominibus videri poſſunt. Si autem illi qui bona opera juſtorum vident, ex illorum exemplo moti fuerint ad faciendum alia ſimilia bona opera, tunc gloriſicant patrem noſtrum, qui in Cœlis eſt. At nihil horum convenit peccato: quia peccatum non lux vocatur in ſacris literis, ſed tenebræ. Nam Sapiens deſcribens diſcrimen, quod Deus poſuit inter Aegyptios, & filios Iſrael, ait: (Sap. 17.) Omnis enim orbis terrarum limpidio illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur. Solis autem illis ſuperpoſita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ ſuperventura illis erant. Iſi ergo ſibi erant gravius tenebræ. In quibus verbis non ſolum infernum ad quem poſtea ituri erant, ſed ipſos etiam peccatores appellavit tenebras. Sed aperius in ea quæ eſt ad Romanos epistoſa, (cap. 13.) hoc docet Paulus, ſic dicens: Abjiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. In quibus verbis, ut fatiſ eſt maniſeſtum, opera bona appellavit arma lucis, & peccata dixit opera tenebrarum. Qui autem hæc tenebrarum opera facit, non gloriſicant patrem qui in Cœlis eſt, immo potius inhonorat eum, prout Saluator ipſe Judæis alibi dixit: (Joann. 8.) Vos inhonoratiſti me. Rurſum, opera bona placent Deo, & ſunt illi grata. Nam, ut Salomôn ait: (Prov. 21.) ſacere miſericordiam, & iudicium magis placeat Deo, quam victimæ. Et corporis afflictiones pro Deo moderate ſuſceptas, Paulus vocat hoſtiam viventem, ſanciam, Deo placentem. (Rom. 12.) Nec ſolum opera ipſa placent Deo, ſed ipſa opera ſæpe ſunt cauſe, quod illorum operam auctores

etiam placeant Deo. Nam de hospitalitate teſtatur Paulus, (Heb. 13.) quodaſam per illam placuiſſe Deo Angelis hoſpitio recepris. Peccatum autem nunquam placuit Deo, nec peccator eo tempore, quo in peccato manet. Similiter enim ſunt odio Deo, ut ait Salomôn, (Sap. 14.) impius & impietas ejus. Superbi namque (ut ait Judith (cap. 9.) nunquam Deo placuerunt, ſemper autem Deo placuit manſuetorum, & humilium deprecationi. Propter hoc enim avertit Deus faciem ſuam à Cain, & noluit reſpicere illum, neque munera illius: quia neque ille, ne que illa placebant ei. (Genes. 4.) Nam convertens ſe peccator ad Deum, per conversionem ſuam placat Deum contra illum iratum, prout Elaias aperte docuit, (cap. 19.) ſic dicens: Revertentur ad Dominum, & placabitur Deus. De occiſione qua Phinees occidit Iſraelitam conuentem cum ſcorto, teſtatur Regius Propheta per illam fuiſſe placatum Deum. Scivit Phinees (inquit ille (Pſalm. 105.) & placavit, & ceſſavit quaſſatio. Iratus fuerat Dominus contra Ninivitas, adeo ut per Jonam Prophetam minaretur illis, civitatem illorum infra quadraginta dierum ſpatium fore ſubvertendam: ſed per jejunium, & alias corporis afflictiones placaverunt Deum. Nam videns Deus (ut ait Jonas (cap. 3.) opera eorum, quia converſi ſunt de via ſua mala, & miſerum eſt Deus ſuper multitudine, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non ſcivit. Peccato autem nunquam placatur Deus, immo potius magis irritatur. Expelle eos (inquit de peccatoribus Propheta (Pſ. 5.) quoniam irritaverunt te Domine. Et iterum. (Pſalm. 9.) Irritavit impius Deum, dixit enim in corde ſuo non requirit. Et rurſum. (Pſalm. 17.) Exacerbavit Dominum peccator. Si Deus per peccatum irritatur, quomodo poteſt eſſe, ut juſtus peccet in bono opere, per quod Deus ipſe placatur? Fieri enim nequit, immo nec intelligi, Deum propter idem opus ſimul placari, & irritari. Præterea operibus bonis debetur ex promiſſione divina præmium: peccatis autem pœna, prout ſæpiſſime ſacrae literæ docent. Nam Chriſtus dicit ſe venturum in gloria patris fui, cum Angelis ſuis, & tunc redditarum unicuique ſecundum opera ſua. (Matth. 16.) Quid autem juſto, & quid peccatori ſit redditurus, poſtea per eundem Evangeliſtam declaravit, dicens: (Matth. 25.) Ibunt ii in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam. Fiet ergo juxta Lutheri ſententiam, ut juſtus homo propter idem opus ſit dignus pœna, & præmio æterno, qua ſententia nihil abſurdum, & ineptius dici poteſt. Poſtremo hæc inſana hæreſis damnata eſt in Concilio Tridentino, quod ſub Paulo tertio celebratum eſt, & ſeſſione ſexta hanc inter alios multos vigeſimoquinto loco protulit latæ ſententia Canonem. Si quis in quolibet bono opere juſtum ſaltem venialiter peccare dixerit, aut (quod intolerabilius eſt) mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereat: tantumque ob id non damnari, quia ea opera Deus non imputat ad damnationem, anathema ſit. Hæc Concilium Tridentinum. Verum ſuperſeſt, ut Lutheri obſjectionibus reſpondeamus. Primo obſiicit nobis illud Sapienſis: (Ecl. 7.) Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Fatemur quidem nullum eſſe ſine Dei gratia juſtum, neque juſtum ſine Dei adjutorio poſſe vitare omne peccatum. Nam ſicut gratia exigitur ad initium boni operis, ita etiam requiritur ad perfectionem. Quapropter quilibet homo quantumlibet juſtus, ſi à Deo non fuerit adjutus, in poſterum peccavit. Et quod hunc ſenſum habeant illa verba Eccleſiaſtes, colligitur ex præcedentibus verbis, quibus ſic dicitur: Sapientia confortavit Sapientem Super decem Prin-

ci-

aperiret labia sua tibi, ut ostenderet tibi secreta sapientia, & quod multiplex est lex ejus, & intelligeres, quod multo minorā exigaris ab eo, quam meretur iniquitas tua. Denique Paulus ad Hæbreos scribens, (cap. 10.) ait: *In vitam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus tegibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei concussaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia consumeliam fecerit?* In his omnibus locis apertissime dicitur, iniquitatem mereri poenam. De hoc merito nulla est mentio in statu præsentis disputationis, sed de illo solo merito honorum operum, cui correlative respondet præmium bonum. Hoc autem meritum Scholastici Doctores duplex esse dicunt: alterum appellantes meritum de condigno, alterum vero meritum de congruo. Non tamen omnes Scholastici Doctores, hanc meriti divisionem probant: quoniam eorum aliqui meritum de congruo profus rejectunt, tamquam id quod meritum dici, nequaquam mereatur: propterea quod illi neque ex dignitate sua, neque ex lege debetur præmium, sed ex sola congruitate gratis acceptatur ad præmium. De qua re ego in præsentiarum contendere nolo; quoniam magis de nomine, quam de re ipsa contendere mihi videntur, qui pro merito de congruo suscipiendo, aut rejiciendo contendunt. Deinde, et si ego meritum de congruo amplectendum esse dicerem, illud longissime abest à statu præsentis disputationis: quoniam de solo merito de condigno loquimur, quum dicimus, hominem justum peccata bona opera mereri vitam æternam. Sane etiam adhuc alii Scholastici Theologi, qui trepidantes timore, ubi nulla erat timendi ratio, tertiam meriti speciem quaesierant, quam vocant meritum de digno. Nam videntes Paulum dicentem (Rom. 8.) passionem hujus sæculi, non esse condignam ad futuram gloriam, negarunt hominem per bona opera, posse mereri de condigno vitam æternam. Sed ex alia parte conspicientes ad promissiones divinas, quibus Deus promittit servantibus mandata sua, se daturum vitam æternam, coacti sunt fateri, meritum vite æternæ esse in observatione mandatorum Dei, quod appellatur meritum de digno. Verum isti non advertunt idem profus esse apud Latinos, & probatos Auctores dignum, & condignum, & neutrum altero excellentius esse, sed utrumque paritatem quandam, sive equalitatem significare inter meritum, & præmium. Et huic rei testimonium præbet, quod Erasmus Roterodamus in sua translatione novi testamenti, vertens illum locum Pauli, ex quo isti trepidandi occasionem in merito acceperunt, non vertit vocem Græcam *axia*, per condignas, aut dignas: sed per pares, sic dicens: Nam reputo non esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ revelabitur erga nos. Ex quibus verbis constat Paulum solummodo negasse paritatem inter opera nostra, & gloriam quæ nobis est danda. At cum hæc paritas ita bene explicetur per nomen digni, sicut per nomen condigni, frustra tentantur per illud nomen fingere tertiam meriti speciem, quæ non dicatur meritum de congruo, nec de condigno, sed de digno: præsertim cum in re ipsa nihil profus differunt ab illis, qui meritum de condigno tribuunt operibus bonis respectu gloriæ. Cum igitur de solo merito de condigno sit præsentis controversie status, illud solum in præsentiarum diffinire oportet. Meritum de condigno est opus liberum, cui ex naturali, & propria dignitate, aut ex lege debetur præmium. Cum dico meritum esse opus, nomine operis non solum alicu-

jus rei actionem, sed etiam omissionem intelligi volo, prout omnes Scholastici Theologi docent intelligi oportere in diffinitione illa vulgari, qua Augustinus diffinit peccatum, sic dicens: Peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei. In qua diffinitione, ut illa sit perfecta, per hanc vocem, dictum, intelligi oportet, etiam omissionem dicti, & per hanc vocem, factum, omissionem facti. Eodem modo, in diffinitione meriti, quam nos modo dedimus nomine operis intelligi volo etiam omissionem operis. Quod ideo me admonuisse lector intelligat, quoniam scio aliquos esse Scholasticos Theologos, qui contendunt hominem non solum per opus, sed etiam per operis omissionem posse mereri. De qua re ego nolo contendere; quia in hoc opere non pro hominum placitis, sed pro sola fide Catholica certare decevi. Et ideo ut omni hominum sententiæ in diffinitione meriti servirem, admonui lectorem, ut nomine operis intelligeret, si vellet, & sui opinionis conveniret, etiam operis omissionem. Opus autem ipsum, ut meritum dici possit, liberum esse oportet: quoniam quod voluntatis libertate caret, meriti rationem habere non potest. Nihil enim humanum Deo placere potest, quod ab hominis voluntate non procedit. Et nemo in omni oblatione quæ Deo offerenda est, primum quod Deus ab homine petit, est propria voluntatis oblatio. *Præbe filii mihi* (inquit Sapientia divina (Prov. 23.) *cor tuum mihi.* Et merito jam tamquam commune proverbium dicitur, non placere Deo coacta servitia: propter id quod Paulus ait: (2. Cor. 9.) *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilariter enim datorem diligit Deus.* Nemo etiam, ut Augustinus docet, peccat in eo quod vitare non potest, & inde sequitur, ut nemo mereatur in eo quod necessario, & non libere facit. Non enim minorem exigit voluntatis libertatem meritum, quam peccatum: quia in his quæ à natura insunt, ut Aristoteles ait, neque laudantur, neque vituperantur. Et Tertullianus lib. secundo contra Marcionem ait: Nec boni, nec mali merces jure pensarentur ei, qui aut bonus, aut malus necessitate fuisse inventus, non voluntate. Hæc ille. Diximus etiam ad rationem meriti de condigno perfectam necessario exigi, ut operi bono, & libero debeatur, aut ex ipsa operis natura, aut ex lege præmium illud respectu cuius dicitur meritum. Non enim semper oportet, ut præmium sit debitum ex ipsa operis natura: sed satis est, ut sit debitum ex lege. Nam lex potest facere paria, quæ ex sua natura erant imparia. Lex naturæ docet, ut omne promissum sit debitum, & inde evenit, ut promissione data, paria sint, quæ illa seclusa non fuissent paria. Ut autem hoc manifestum faciam, in exemplum profero illam promissionem, quam Rex Saul dedit, quum Goliath gigas ille fortissimus omnibus filiis Israel, quos ad singularem certamen provocabat, metum, & pavorem incutiebat. *Vrum* (inquit 1. Reg. 17.) *qui percussit eum, dabitur rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet, absque tributo in Israel.* Post datam hanc promissionem, David percussit Goliath, interfecitque illum, & sic factus est dignus, ut filiam Regis acciperet in uxorem. Hac Regis promissione seclusa, quamvis David propter victoriam illam magno aliquo præmio fuisset dignus, non tamen tanto, ut Rex filiam suam daret in uxorem. Fuisset enim adhuc David, qui peccus pascibat, & fratrum minimus erat, impar filie Regis: ac proinde indignus, ut filiam Regis acciperet in uxorem. Nam ut optime quidam dicit, non bene conveniunt impares ad aratra juveni. Data hæc

me-

meriti diffinitione, opus est, ut peramus à Luthero, & illius affectis, aut sectatoribus, an placeat illis hæc diffinitio meriti, & juxta illam dicant, operæ humana non esse vitæ æternæ meritoria: an vero illi diffinitioni velint, aliquid addere, aut detrachere. Forte illi dicent, illam diffinitionem non placere, propterea quod illi fortassis putant esse necessarium, ad veram meriti rationem, ut opus ex sua natura sit dignum tali præmio, & quod naturali operis dignitati illud præmium debeatur: & non esse satis, quod illi debeatur ex lege. Si illi se ita sentire dicent, hæc sola ratione constabit, illos de solo nomine, ac de sola nominis significatione contendere nobiscum. Nam juxta hanc nominis significationem, nos, omnes fatemur, nullum opus humanum, quantumlibet bonum, esse meritorium vitæ æternæ, quia non est illi ex sua natura æquale, quia terrena non æquantur cælestibus, neque temporalia æternis. Juxta hanc quippe naturalem condignitatem, sive paritatem intelligimus Paulum dicentem, (Rom. 8.) *passiones hujus temporis non esse condignas ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et de hæc eadem dignitate, & paritate intelligimus omnes sanctos Doctores, quoties dicunt opera nostra non esse meritoria, aut digna vita æterna. Nam tunc considerant illi solummodo naturalem bonorum operum valorem, & illum à valore, & juxta vitam æternæ æstimatione longissime distare, prudenter dixerunt. Vere siquidem, & sancte dixit Chrysostomus in libro De compunctione cordis: Et si milles moriamur, & si omnes virtutes animæ expleamus, nihil dignum gerimus ad ea, quæ ipsi à Deo percipimus. Et in homilia septuagesima iterum ait: Quicquid gesseris, parum est, quicquid feceris, minus est. Omne enim meritum breve est comparatione donorum: numerata beneficia si potes, & tunc considera quid merearis. Et post pauca subdit. Si totum tempus vitæ hujus occupent obsequia, laudes teneant, gratiarum actiones insistant, non poteris pensare quod debes. Et aliquibus interpolatis, addit: Sic licet excellens hominum meritum, sit naturæ jura conservans, sit legum jussis obtemperans, fidem impleat, justitiam teneat, virtutes exerceat, damnet vitia, peccata repellat, exemplum semet imitantibus præbeat, nihil est respectu ejusdem. Hæc Chrysostomus. Quæ omnia nos libenter animo fatemur, & extensis, ut ajunt, ulnis amplectimur: quoniam nec sumus tam rudes, neque tam arrogantes, ut naturalem operum nostrorum valorem (qui te vera minimus est) æquare velimus excellentissimæ dignitati, & immenso valori gloriæ cælestis. Et hinc convincimus Lutherum, & omnes illius affectus, & sectatores falso nos calumniari, & de arrogantia accusare, tamquam nos velimus opera nostra æquare, cum inestimabili valore vitæ æternæ. Capiendo ergo meriti nomen ut significat equalitatem ex ipsius natura inter ipsum & præmium, non contendimus de re ipsa cum Luthero, sed convenit inter nos & illam de hæc sententiæ, quod opera humana quantumlibet bona, non sunt sic meritoria vitæ æternæ. Possent tamen, qui esset contentio (quam ego vehementer abhorreo) cupidus de ipsa nominis significatione cum Luthero & illius sectatoribus, non absque ratione contendere. Nam si ad veram, & perfectam meriti rationem necessario exigitur, ut meritum ipsum juxta naturalem illum valorem æquetur præmio, & ex naturali jure præmium ipsum sit illi merito debitum, vix ullum erit inter homines meritum, non solum apud Deum, sed neque apud homines. Oportet itaque profus à Latina lingua religare meriti nomen,

Tom. I.

propterea quod nullius rei sit nomen. Sed hæc missa faciamus, quia non est æquam, nec decet virum Christianum, præsertim Theologum contendere, nisi ubi res ipsa cogit. Si Lutherus & illius imitatores illam quam dedimus meriti diffinitionem, accipiunt, & juxta illam dicunt nulla hominum opera quantumlibet bona esse vitæ æternæ meritoria, tunc necessitas ipsa nos coget contendere cum eis. Nam hæc sententiæ est aperte contra sacram scripturam, & totius Ecclesiæ consensum. Scriptura sacra sepe testatur, Deum promississe operibus bonis vitam æternam. *Agite poenitentiam* (inquit Salvator noster (Mat. 4.) *& appropinquabit regnum cælorum.* In quibus verbis non solum peccatorum remissionem, sed etiam regnum Cælorum, quod vita est æterna, promittit. Et apud Joanneo (cap. 5.) ait: *Amen dico vobis, quia qui servum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam æternam.* Et post pauca subdit: *Veni hora in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vite.* Et omni servanti mandata sua, vitam æternam promittit, sic dicens: (Matth. 19.) *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et Paulo post hæc verba iterum ait: *Omnes qui reliquerint domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* In quibus verbis aperte promittitur vita æterna, non quidem gratis, sed propter opera ibidem enumerata. Paulus etiam promissionis divinæ testimonium præbet, quum ait: (1. Tim. 4.) *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vite, quæ nunc est, & futura.* Et forte Paulus hoc dixit propter verba illa, quæ prædixit Christus, se in die iudicii misericordibus diciturum: *Esurivi & dedistis mihi manducare, Sitivi, & dedistis mihi bibere: hospes fui, & recepistis me, & postea subdit: (Mat. 25.) Venite benedicti patris mei percipite regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi.* In quibus verbis aperte Salvator promittit regnum Cælorum misericordibus propter opera misericordie ab illis facta. Jacobus Apostolus etiam testatur, Deum promississe gloriam æternam propter afflictiones hujus vitæ patienter toleratas. *Qui sustinet tentationem* (inquit ille (cap. 1.) *accipiet coronam vite, quam repromittit Deus diligentibus se.* Neque his solis operariis, sed etiam suscipientibus Sacramenta, promittit Christus vitam æternam. Nam de suscipiente baptismum, dixit: (Mat. 16.) *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Et de suscipiente Sacramentum Eucharistie, ait: (Joann. 6.) *Qui manducavit panem, habet vitam æternam.* Et his omnibus promissionibus servit parabola illa à Christo Salvatore nostro dicta, (Matth. 20.) de patre familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam, & conventionem facta cum illis ex denario diurno, misit illos in vineam suam. In qua parabola denarius ille promissus pro labore diurno, ut omnes sacri Doctores Latini, & Græci concorditer interpretantur, significat gloriam cælestem à Deo promissam omnibus in vinea Domini laborantibus. Data igitur hæc promissio, & facta nobiscum conventionem, opera bona hominis cum adjutorio gratiæ Dei sunt, digna sunt vita æterna, & illis æqualia, quæ seclusa illa Dei promissione, fuissent tanto præmio profus indigna. Et hæc fuit illa Suprema Dei misericordia, à qua pendet totum meritum nostrum, quod præmium illud vitæ æternæ profus inestimabile, & sua natura omne nostrum meritum superans, voluit illud pretio nostrorum operum in gratia factorum æstimare, & in remunerationem nostrorum operum promittere. Qua

Bbbb

ra-

ratione nos multo magis sibi debitores fecit, ut tanto beneficio agnito nos ardentius illi servire affectemus, tamquam maximo laborum nostrorum remuneratori. Sed ne ex tam liberali & magnificentissima promissione occasionem superbendi acciperemus, ut solis nostris operibus confideremus nos posse assequi vitam æternam, noluit Deus illam promittere operibus quantumlibet bonis, nisi illa gratiam suam haberent adjunctam: *Sine me* (inquit ille (Joann. 15.)) *nihil potestis facere*. Si nihil: ergo neque vitam æternam assequi, neque id quod ad vitam illam assequendam est necessarium, operari. Gratia Dei adjuti possumus illam vitam promereri, juxta id quod Paulus ait: (Philip. 4.) *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Per hanc gratiam, quæ nos ad gloriam promerendam potentes facit, sumus Deo grati, & ad vitam æternam acceptati, & deinde opera nostra sunt Deo grata, & ab illo ad vitam æternam acceptata. Prius quidem respexit Dominus Abel, & postea ad munera ejus. (Genes. 4.) Hoc igitur rerum ordinem bene circumspicere, facile intelligitur, nos omnem meriti gloriam ad Deum solum referre, à cuius sola gratia processit, ut nos illi essemus grati, & per illam bene operari, & vitam æternam mereri possumus. Utilitas tamen meriti nobis provenit, quibus propter opera bona, gratia Dei facta vita debet æterna, ex sola promissione divina. Et hoc ipsum aperte colligitur ex hac prædicta parabola, in qua paterfamilias dixit illi, qui portaverat pondus diei, & ætus: (Mar. 20.) *Tolle quod tuum est, & vade*. Non enim aliunde suum dixit esse diurnum denarium, nisi quia ex conventionem erat illi propter suum laborem debitus. Nec hoc vel tantillum derogat gloriæ & dignitati Dei, immo potius cedit illi in majorem gloriam & honorem. Nam sicut immensam Dei bonitatem exultat, quod cum dives esset, voluit propter nos egenus fieri, ut illius inopia nos divites essemus: (2. Cor. 8.) ita largissimam illius liberalitatem & magnificentissimam erga nos benevolentiam ostendit, quod cum nihil hominibus deberet, ipse propria sua bonitate debitorem se constituitere voluit, ut nos vere divites faceret. Debitorem autem se fecit, ut beatus Bonaventura docet, non quidem hominibus, quibus nihil debere poterat, sed sibi ipsi, ut fidelis esset in promissa, ita ut Cælum, & terra transiret potius, quam promissio aliqua illius volaret inanis. Quod si hoc debitoris nomen Deo tribuere horrent Philippus Melancton, & Joannes Calvinus, ut sunt in hac parte superciliosi, vel potius superstitiosi, audiant quid dicat Augustinus, qui fuit accerrimus gratiæ Dei propugnator. In his quæ jam habemus (inquit Augustinus) laudemus Deum largitorem: in his quæ nondum habemus, tenemus debitorem. Debitor enim factus est, non aliquid à nobis excipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Hæc Augustinus sermone sextodecimo De verbis Apostoli. Beiterum, sermone 151. de tempore, ait, laudemus ergo fratres Dominum, quia ejus fidelis promissa retinemus, nondum accepimus. Parum putatis, quia promissorem tenemus, ut jam debitorem exigamus? Promissor Deus debitor factus est bonitate sua, non prærogativa nostra. Hæc Augustinus. Si Augustini testimonio credere noluit isti hostes nostri, audiant sententiam Concilii Arausiaci secundum, quæ capite 18. sub his verbis continetur. Debetur merces bonis operibus sit fiant: sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant. Hæc Concilium Arausiacum. Attendite obsecro Lutherani omnes, & videte quam aperte Augustinus, & Concilium Arausiacum pronuntient, Deum non solum debitorem sibi, ut Bonaventura

dixit, sed etiam nobis; ita ut ab illo debitum exigere possimus. Si gloria æterna est debitum, ut Augustinus ait, quod debetur homini iusto propter bona opera ejus, cum adjutorio gratiæ Dei facta, nihil profecto obstat quo minus ille per talia opera dicatur mereri vitam æternam. Ex testimonio scripturæ jam citatis convincitur vanum, & ridiculum esse figmentum Philippi Melanctonis, & Joannis Calvinii, qui agnoscentes vim argumentorum probantium opera bona esse meritoria, ad hoc asylum confugerunt, ut dicerent illa mereri bona temporalia, & aliqua spiritualia, sed non vitam æternam. In testimoniis tamen scripturæ sacre, quæ nunc proxime citavimus, expressa proprio nomine vita promittitur æterna, aut regnum cælorum, quod nihil est aliud quam vita æterna: & inde evidenter colligitur, bona opera propter quæ promittitur vita æterna, esse ejusdem vitæ meritoria. Præterea, sacre scripturæ sæpissime dicunt, ipsam gloriam cælestem esse nostrorum operum mercedem, & inde necessario colligitur, ut opera ipsa sint meritum illius mercedis. Nam meritum & merces correlativæ se habent: ita ut meritum necessario sit alicujus mercedis meritum, & merces alicujus meriti merces: quemadmodum pater necessario est alicujus filii pater, & filius alicujus patris filius. Altero igitur illorum sublato, necessarium est tollere reliquum: & alteroposito, necessario consequitur alterum: quoniam sunt liberi invicem connexa. Fiet igitur necessario, ut si neges opera bona esse meritoria vitæ æternæ, cogaris etiam negare ipsam vitam æternam esse mercedem operum bonorum, aut si concedas vitam æternam esse mercedem bonorum operum, fateri te etiam oporteat ipsa bona opera esse illius vitæ meritum. At vitam æternam esse bonorum operum mercedem, apertissimum est iis qui in sacris litteris versati sunt. Calvinus tamen in illo bello contra acta concilii Tridentini, in fine sessionis sextæ, hoc aperte negat, sic dicens: Primum, quod vitam æternam faciunt mercedem, in eo ab illis dissentio. Neque enim si in vita æterna Deus opera remuneratur, inde protinus consequentur vitam ipsam esse, quæ in ea reperatur, mercedem; hæc Calvinus. Sed male causam nostram representat lectori Calvinus: quia non tam fragili argumento movemur, ut dicamus vitam æternam esse bonorum operum mercedem, sed apertis sacre scripturæ & sanctorum Doctorum testimoniis. Nam illud est manifestum, quod Deus dixit Abraham: (Genes. 12.) *Ego protector tuus, & merces tua magna nimis*. Neque hic proderit Joanni Calvinus, aut Philippo Melanctoni figmentum illud suum: ut dicat non beatitudinem ipsam, sed aliud bonum spirituale in terra, aut in Cælo esse mercedem operum nostrorum. Nam Deus ipse dicit se esse protectorem, & mercedem magnam: eandem mercedem dicit Sapiens esse iustis reddendam, sic inquit: (Sap. 5.) *Iusti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum*. Sanctis partibus qui apertionem januæ cælestis, & beatitudinem per Christi merita dandam expectabant, & longa nimisque anxia expectatione erant suspensi, Blasius Propheta ad eorum consolationem dixit: (cap. 40.) *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur. Ecce merces ejus cum eo*. Ut autem Deus ipse ostenderet se esse quem Blasius tunc prædixerat, in Apocalypsi Joannis (cap. 22.) ait: *Ecce venio cito, & merces mecum est, reddere unicuique juxta opera sua*. Et hæc etiam de sola vitæ æternæ Dei visione esse intelligenda, vel ex eo facile constare potest, quod illam solum tunc expectabant iusti, & illam solum nunc omnes optamus, dicentes cum David:

(Psal. 17.)

(Psal. 72.) *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* Illud etiam est manifestum, quod Salvator noster dixit in illo sermone, quem in monte habuit. *Beati estis* (inquit ille (Matth. 5.)) *quoniam maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversus vos, manentes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Quod autem hæc merces copiosa in cælis sit ipsa beatitudo & gloria cælestis, testatur Chromatius, qui in Commentario suo super sermone Domini in monte, prædicta verba interpretans, ait: *Quam gloriosa est persecutionis hujus tolerantia, cujus mercedem Dominus repositam esse dicit in cælis*. Et idcirco propositæ gloriæ præmium considerantes, ad omnem tolerantiam passionis devota fide parati esse debemus, ut consortes gloriæ Prophetarum atque Apostolorum effici mereamur, per Christum Dominum nostrum, qui est benedictus in sæcula. Hæc Chromatius. In quibus verbis non solum notare oportet, quod gloriam cælestem declarat esse illam mercedem copiosam in cælis: sed dicit nos illam mereri pro tolerantiam persecutionum, simul cum Christi merito. Huc etiam pertinet retributionis nomen, quo ipsa gloria cælestis appellatur: quia per illam retribuit Dominus cuique iusto secundum merita suorum operum. De custodia mandatorum Propheta loquens, ait: (Psal. 118.) *In custodia illis retributio multa*. In quibus verbis aperte consonat Propheta Christo dicenti, mercedem esse copiosam in cælis. Idem enim est retributio multa, & merces copiosa. Unde Casiodorus illum Psalmi versiculum interpretans, ait: *Tanta enim divine clementiæ dona sunt, quæ nequeunt comprehendi*. Sic enim de his Apostolus dicit: (1. Cor. 2.) *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se*. Merito ergo dicta sunt multa: quia comprehendi non poterant universa. Hæc Casiodorus. Et certe quisquis curiose styrum sacre scripturæ scrutatus fuerit, inveniet quod nunquam illa utitur verbo retributionis, aut mercedis, sed solum liberalis donationis, quoties loquitur de vocatione ad gratiam, aut de prima justificatione, aut de prædestinatione ad gloriam. Hoc enim modo loquendi ostenditur manifeste, illa omnia gratis, & sine merito dari. Spiritus enim sanctus (ut ait Christus (Joann. 3.)) *ubi vult spirat*. Et iterum. (Joann. 15.) *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Et Paulus ait: (Rom. 9.) *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*. Et iterum: *Cui vult miseretur, & quem vult indurat*. Quom autem de retributione gloriæ cælestis loquitur, tunc nomine retributionis, aut mercedis utitur, ut ostendat illam non gratis, sed sæpe propter aliqua propria merita dari, ut puta omnibus adultis. Nam & si Deus gratis & sine ullo merito nostro prædestinat ad gloriam æternam, non tamen gratis illam reddit homini jam adulto & rationis composi. Hoc vario loquendi modo usus est Regius Propheta in uno eodemque Psalmo, & in eodem verborum contextu, sic dicens: (Psal. 117.) *Salvavit me fecit, quoniam voluit me*. Et retribuet mihi Dominus sicut dixi iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. In priori parte ubi agit de prædestinatione & de vocatione ad gratiam, usus est verbo liberalis donationis, dicens: *Quoniam voluit me*. In secundo versu ubi jam non agit de vocatione ad servitium, sed de retributione præmi, non usus est verbo significante liberalem donationem, sed verbo retributionis, sic dicens: *Et retribuet mihi Dominus, secundum iustitiam meam*. Et hoc ipsum ante me annotavit Casiodorus super

Plalterium, ubi interpretans primam versiculi partem, hæc ait: *Quoniam voluit me, id est, quoniam me elegit, qui gratis vocat universos, nec prius beneficium accepit, quam præstare dignetur, sicut ipse in Evangelio dicit: (Joann. 15.) Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Et huic interpretationi favet Hieronymus, qui in eodem loco hæc ait. *Voluntate propria, & non ex meo merito me vocavit, dicente Apostolo: (Ephes. 2.) Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis*. Hæc Hieronymus. Exponens autem alterum versum Casiodorus, hæc ait: *Optime utrumque servavit. Et prius dixit antequam assumeretur, quoniam voluit me. Et nunc dicit: Retribuet mihi secundum iustitiam meam*. Hæc Casiodorus. Rufinus, ipsa sacra scriptura, non tantum semel, aut iterum, sed pluries dicit sanctos esse dignos vitam æternam, quod non diceret, nisi illi per sua bona opera illam mererentur. Nam Sapiens loquens de iustis, qui propter Deum mala toleraverunt, ait: (Sap. 3.) *In paucis vexati, in multis bene disponuntur, quoniam Deus tentavit eos, & invenit eos dignos se*. Non dixit invenisse illos dignos aliquo alio bono, sed dignos se, ut hac ratione fictionem Joannis Calvinii, & Philippi Melanctonis aperte convinceremus. Nec dixit Deum fecisse, sed invenisse eos dignos. Per quid autem fuerint digni, satis aperte declaravit, per illa verba præcedentia. *In paucis vexati, in multis bene disponuntur*. Vexatio itaque in paucis pro Deo tolerata, simul cum gratia Dei facit iustos esse ipso Deo dignos. Et Paulus Thessalonicensibus scribens eadem sententiæ favet, (cap. 1.) sic dicens: *Abundat charitas vniuersi cuiusque vestrum in invicem: ita ut nos ipsi in vobis gloriamur, in Ecclesiis Dei pro patientia vestra, & fide in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicii Dei, ut digni habeamini regno Dei, pro quo & patimini*. Et de quibusdam Sardicenses, qui non inquinaverunt vestimenta sua, dicit Deus: (Apoc. 3.) *Ambulant mecum in albis, quia digni sunt*. Si digni sunt ambulare cum Deo in albis: ergo hoc ipsum meretur: quoniam nihil aliud est mereri aliquod præmium, quam esse dignum illo. Deinde ex alia consideratione operum bonorum adhuc facile potest convinci, illa esse meritum vitæ æternæ. Nam opera bona dicuntur causare, & efficere gloriam æternam in ipso homine illorum operatore. Non possunt autem dici causa beatitudinis, nisi ea ratione, qua sunt meritum illius, neque possunt aliquam efficientiam circa illam habere, nisi illam quam habet meritum circa præmium. Hæc enim sola ratione Paulus dicit: (Heb. 5.) *Christum factum esse omnibus obtemperantibus sibi causam salutis æternæ*. Causam salutis æternæ dixit: quia meruit omnibus vere obedientibus salutem æternam. Hoc etiam modo interpretandum est id, quod Christus ipse, Salvator noster dixit euidam cæco secus viam sedenti, ac mendicanti ab eo visum. *Respice* (inquit (Luc. 18.)) *fides tuæ saluum fecit*. Nam fides quæ spiritualis quædam res est, non poterat visum corporalem efficere, sed fidem fecisse illum visum dixit Christus, quia per talem fidem cæcus meritus est, ut Deus illi visum restitueret. Quod autem opera bona dicantur causare, aut efficere beatitudinem in homine, aperte convincitur ex testimoniis Hieronymi & Augustini, qui hoc aperte docent. Nam Hieronymus in Commentariis super Mattheum interpretans illa verba Salvatoris: *Beati estis cum maledixerint vobis homines*, hæc ait: *Illud maledictum contemnendum est, quod beatitudinem creat, quod falso maledicentis ore profertur*. Hæc Hieronymus. In quibus verbis id annotare oportet, quod dicit

cir maledictum pro Deo toleratum creare beatitudinem. Augustinus libro decimo quarto de Trinitate, capite 15. hæc ait: Quid faciat animam beatam nisi meritum suum, & præmium Domini sui? Sed & meritum eius gratia, est illius, cuius præmium erit beatitudo eius. Hæc Augustinus, qui manifeste dicit: meritum hominis, facere illum beatum. Et licet isti duo illustres viri satis clare, & aperte, hoc dicant, multo tamen melius hoc convincere possumus, ex verbis Pauli, dicentis: (2. Cor. 4.) *Id enim quod in presenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternam pondus gloria operatur in nobis.* Operatur dicit, ut hoc solo nomine ostenderet esse meritum beatitudinis. Nam Augustinus in tractatu super Psalmum 93, colligit ex istis verbis Pauli bona opera nostra esse pretium, quo emittit gloria cælestis. **A** *Quid est æternæ gloriæ pondus operatur in nobis? Quibus operatur? Non respicientibus quæ videntur, sed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna. Noli esse piget laboris brevitæ, & gaudere incessabiliter. Hæc est requies sempiterna. Sine fine erit requies ista, sine fine erit gaudium hoc, sine fine erit lætitia ista, sine fine erit corruptio vita æterna. Habebis requiem, quæ non habebit finem? Si verum vis comparare, & verum judicare, æterna requies æterno laborare recte emittit. Verum hoc est, sed noli timere. Misericors est Deus. Si enim haberes in æternam labores, numquam pervenires ad æternam requiem. Ergo ut aliquando pervenias ad id quod emis, non æternam laborandum est: non quia non valent tanti, sed ut possideatur quod emittit. Digna est quidem labore emi perpetuo: sed necesse est ut labore temporali ematur. Decies centena millia annorum in labore quid valent? Decies centena millia annorum finem habent: quod tibi dabo, Deus dicit, non habebit finem. Qualis misericordia Dei? Non dicit decies centena millia annorum labora: non dicit vel mille annos labora, non dicit quingentos annos labora. Cum vivis labora in paucis annis, inde requies erit, & finem non habebit. Verum est ergo, quod dicit Apostolus: (2. Cor. 4.) *Brevem quod est ad præsens temporale, & leve tribulationis nostræ, juxta incredibilem modum æternam gloriæ pondus operatur in nobis.* Ecce quantum pretium damus, quodammodo nam siquam ad accipiendos thesauros sempiternos, siquam laboris ad requiem incredibilem. Hæc tamen Augustinus, qui etsi agnoscit, nostros omnes labores valde impares esse gloriæ sempiternæ, tamen illos dicit esse pretium, quo emittit illa gloria æterna. Pretium quidem non ex sua natura: sed ex misericordia divina, quæ voluit illam nobis tam parvo pretio venale exhibere, ut illam assequi possemus, quæ si justo pretio esset emenda, numquam posset haberi. Jam nunc Calvinum obsecro, ut dicat nobis quare, tam temere monachis exprobat, & illos subannat, atque irridet, propterea quod dicant, per bona opera hominem mereri vitam æternam, quasi soli monachi hoc dixissent, & non omnes sacri Doctores ante illos. Ut autem lector agnoscat Calvinum temeritatem, & impudentem maledicentiam, verba illius citare decrevi. In libello suo contra acta Concilii Tridentini circa finem sextæ sessionis, ubi agit de merito bonorum operum, postquam negavit vitam æternam esse bonorum operum mercedem, hæc quæ sequuntur ait. Sed non animus est errassus monachos, qui nullum umquam certamen conscientie experti, nunc etiam vel ambitione*

inebriati, vel crapula, suo tantum idolo (papam semper hoc nomine appellat) ventilitate se cupiunt de legis perfectione ita garrere. Eadem securitate cælum promerere exponunt: ipsi in cæca in presenti mercede, cui inhiant occupati. Hæc Calvinus. Ex quibus verbis, tamquam ex unguibus leonem, ut est in proverbio, facile poterit candidus lector æstimare Calvinum, quoniam, ut ait Salomon: (Prov. 19.) *doctrina viri per patientiam noscitur.* Possent quidem facillime, si vellem, retaliare, sed mallo silere, & patienter pro Christi nomine tales maledictiones tollerare: quia Saluator dicit: (Matth. 5.) *Beati estis quum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum adversum vos mentientes.* Sed videamus causam propter quam in monachos, tot maledicta congestis: quia ut ille inquit, cælum promerere exponimus. Si hæc est causa propter quam nobis succentet, propter eandem vehementius irasci deberet, & invehi contra Augustinum, quia ille ante nos, ut ex verbis illius pridem citatis constat, hoc aperte docuit: & nos illius auctoritate freti illud dicere audeamus. Sed credo Calvinum illa non legisse, alioqui non minus illi pepercisset, quam monachis. Denique hæc impia istorum assertio damnata est totius Ecclesiæ definitione. Nam Concilium Lateranense sub Innocentio tertio celebratum, capite primo, suorum decretorum hæc ait: Non solum autem virginis, & continentis verum etiam conjugati per æternam fidem, & operationem bonam placentes Deo ad æternam merentur beatitudinem pervenire. Hæc Concilium Lateranense, & habentur in capite firmiter, de summa Trinitate, & fide Catholica. Et Concilium Tridentinum, sub Paulo tertio celebratum, sessione sexta, Canone trigesimo secundo suorum decretorum, hæc ait. Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint bona ipsius justificati merita, aut ipsam justificationem, bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam, & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius æternæ vitæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Hæc Concilium Tridentinum. Quæ omnia satis superque sunt ad convincendam istorum hæreticorum assertionem, qua dicunt, hominem per bona opera non posse mereri vitam æternam. Oporteret tamen respondere illorum objectionibus, ut sic nostræ & Catholice sententiæ veritas clarius videatur. Primo quidem obijciunt nobis, quod sumus Christo Redemptori nostro nimium ingrati, propterea quod nobis ipsis, & nostris operibus arrogamus meritum beatitudinis, quasi Christus non sit meritis ea nobis, aut meritum ipsius non fuerit sufficiens ad eam nobis impetrandam: sed opus sit illi a nostris operibus adjuvari. Hæc autem fateri tanta est impietas, ut nullus homo Christianus sit, qui hoc audire, non abhorreat. Hoc argumentum aut est mera calumnia, & aut procedit ex ignorantia crassa: quia omnes qui hoc nobis obijciunt eo ipso ostendunt se, non intelligere nostram sententiam, & quomodo dicamus bona opera mereri vitam æternam. Nam, ut sæpe jam diximus, non ex nobis hoc habemus, ut bonis operibus mereamur vitam æternam, nec opera nostra sunt ex se tanti valoris, tantæque dignitatis, ut illis debeatur gloria cælestis: sed homines & opera ad hanc dignitatem, & ad hunc valorem exaltata sunt per solam divinam clementiam, qua voluit obtemperantibus sibi promittere vitam æternam. Quæ promissione seclusa nullis operibus nostris, quantumlibet bonis illam homines assequi possent: quia omnia opera nos-

tra quantumlibet bona, sunt imparia tanto premio, & consequens illo indigna. Quod autem homines, & bona illorum opera sint Deo grata, & ad vitam æternam acceptata, hoc habent ex merito Christo, qui pro illis passionem, & mortem suam Deo patri obtulit, & pro illis omnibus, quos seivit esse ad gloriam prædestinatos, oravit. Nam ingrediens mundum, ut Paulus ait, dixit: *Hosiam, & oblationem noluisse, corpus autem aptasti mihi. Holocausta, & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam Deum voluntatem tuam. Sequitur. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Jesu Christi semel.* Deinde cum jam vellet de mundo exire postquam per discipulis suis Deum patrem passioni proximis oravit, statim addidit: (Joann. 17.) *Non pro eis autem rogo tantum, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes sint cum. Hanc autem orationem, sicut omnes alias illius, ut Paulus ait, (Heb. 5.) exaudivit Deus pater, pro illa quam eidem exhibuit reverentiam. Hinc ergo tamquam ex primo merito provenit omnis gratia, & omnis gloria: & inde pendet omnis divina acceptatio, qua homines, & opera illorum acceptat ad vitam æternam. *Justificati gratis* (inquit Paulus (Rom. 3.) *per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Et iterum, (Ibidem. 4.) *Justificati ergo ex fide pacem habemus apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et rursum, (Ibidem.) *Sicut per unius delictum, in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Et in alia epistola, (Tit. 2.) non solum de hominibus, sed etiam de bonis operibus per Christum à Deo patre acceptatis, ait: *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redderet ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, scilicet bonorum operum.* Et Petrus exhortans nos deponere omnem malitiam, & dolum & simulationem, docentem modum, quo id recte faciamus, ait: (1. Pet. 2.) *Offerentes spirituales hostias, Deo per Jesum Christum acceptabiles.* Cum igitur hæc omnia corde integro & pleno ore fateamur, nihil Christi gloriæ derogamus, sed potius gloriam ipsius exaltamus, & illi arrogamus, quicquid in nobis habet aliquam rationem meriti. **D** Quia non solum dicimus illum meritum esse nobis vitam æternam: sed etiam ut hoc nos bonis operibus nostris, illius meritis innitendo, mereri possimus: quod multo majoris est gloriæ. Nec tamen sic bonis nostris operibus meriti honorem Christus dedit, quasi suum sine nostris esset insufficientis ad vitam æternam promerendam. Absit. Erat enim Christi meritum, & est, sine nostris operibus sufficientissimum: sed ille noluit omnem sui meriti sufficientiam adultis, sine aliquo bono illorum opere applicare, quamvis hoc facile potuisset, si vellet: prout exhibuit infantibus. Neque hoc dicentes, meriti gloriam, ut nobis hæretici mendaciter exprobat, inter nos, & Christum partimur. Omnem enim gloriam Christo, & nullam nobis in hac parte tribuimus, ne gloriam, quam sibi soli Deus servatam esse voluit, arripere presumamus. Nam & si aliquam rationem meriti nostris operibus tribuamus, illam tamen ipsi Christo ascribimus, ex cuius merito nobis datum est, ut nostris operibus aliquid mereri possimus. Et ideo hoc considerans beatus Bernardus sermone 61. super canticam dixit: *Meum meritum miseratio Domini. Non plane sum meriti inops, quamdiu ille miserationum non fuerit. Quod si misericordie Domini multæ, multus nihilominus ego in meritis sum.**

Tom. I.

Et si misericordie Domini ab æterno, & usque in æternum, ego quoque misericordias Domini in æternum cantabo. Numquid justitias meas? Domine memorabor tuæ justitiæ solius. Ipsa est enim & mea, nempe factus est mihi in justitia Dei. Hæc Bernardus, qui meritum agnoscens, totum illud tribuit gloriæ Dei: quia ex misericordia Dei, sibi tale meritum provenisse intelligit. Secundo nobis obijciunt quod opera nostra, per quæ nos mereri dicimus, dona sunt Dei, quia nisi Dei dona essent, opera illa bona non essent, propter id quod Jacobus Apostolus, (cap. 1.) ait: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à patre luminum.* Si dona Dei sunt opera nostra, consequens est, ut hæretici dicunt, homines per illa non posse mereri vitam æternam: quia non est rationi consonum, ut per id quod aliquis nobis donavit, aliquid apud illum mereamur. Si hoc argumentum aliquid valeret, etiam probaret, hominem per bona opera non solum vitam æternam, sed nec bona alia spiritualia, immo nec temporalia posse apud Deum mereri: quoniam si ad illa omnia comparentur opera nostra bona, non minus erunt dona Dei, quam si comparentur ad vitam æternam. At Philippus Melancton, & Joannes Calvinus, & Vittembergenses fateantur, opera nostra mereri præmia temporalia, & spiritualia. Non ergo pugnant inter se hæc duo, donum Dei esse, & meritum apud Deum. Dicimus ergo bona opera nostra esse dona Dei, & simul esse vitæ æternæ meritoria. Et hoc non ex nostro cerebro, ut hæretici faciunt, dicimus: sed testimonis sanctorum patrum freti, qui multis ante nos sæculis hoc dixerunt, ex quibus aliquos presertim citare decrevi, eos præsertim, quos isti hæretici in suam favorem citant, ut inde omnibus constet, quam male de illorum favore gloriantur. Bernardus sermone 68. super canticam, hæc ait: *Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiant merita. Sed ut ad meritum satis est de meritis non prelatum: sic carere meritis, satis ad iudicium est. Porro, infantium renatorum neminem carere meritis, sed Christi habere merita. Quibus se tamen indignos reddunt, si sua jungere quiverunt, sed neglexerunt. Quod quidem periculum jam adultæ ætatis est. Merita proinde de habere carere: habita, data novis: fructum speraveris Dei misericordiam, & omne periculum evasisti, paupertatis, ingratitude, presumptionis. Pernitiosa paupertas, penuria meritorum: presumptio autem spiritus, fallaces divitiæ. Et ideo divitiis, & paupertatem, ne dederis mihi Domine, ait, Sapiens 2. (Prov. 30.) *Fœlix Ecclesia, cui neque merita, sine presumptione, neque presumptio abque meritis deest.* Habet unde presumat, sed non merita. Habet merita, sed ad promerendum, non ad presumendum. Ipsum, non presumendum, nonne promereri est? Hæc Bernardus. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod merita nostra dixit esse dona data, & præmium respondens meritis esse ex misericordia Dei, ac proinde non esse presumendum de meritis. Augustinus in epistola ad Sixtum Presbyterum, quæ est in ordine 105. disputans contra Pelagianos, qui falso putabat meritum hominis præcedere gratiam Dei, ait: *Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fidelis eramus, sed ut essemus: sic in fine, quod erit vita æterna coronabit nos sicut scriptum est, in miseratione, & misericordia. Non itaque frustra Deo cantatur: (Psalm. 38.) *Et misericordia ejus præveniet me. Et misericordia ejus subsequatur me.* Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in fi-**

Ccccc

,, ne